



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ex Recogniti||one Des. Eras-||mi Roterodami.||

Erasmus, Desiderius

Basileae, 1518

VD16 E 3644

Evtropii De Gestis Romanorvm Liber Septimvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14277

& contra consuetudinem Ro. libertatis. Cum ergo & honores ex sua uoluntate præstaret, qui ad populum antea referebantur: nec Senatui ad se uenienti assurgeret, aliâq; regia & penè tyrannica faceret, coniuratum est in eum à LX. uel amplius senatoribus equitibus Ro. Præcipui autem fuerunt inter coniuratos duo Bruti, ex eo genere Bruti, qui primus Romæ COS. fuerat, & reges expulerat, & C. Cassius & Seruilius Casca. Ergo Cæsar cum senatus die quadam inter cæteros uenisset ad curiam, XXIII. uulneribus confossus est: uir quo nullus unq; bellis magis enituit. Eius siquidē ductu, undecies cētum nonaginta & duo M. hostium cæsa sunt. Nam quantum bellis ciuilibus fuderit, noluit annotare. Signis collatis quinquagies dimicauit. M. Marcellum solus supergressus, qui XXXIX uicibus pari modo fuerat præliatus. Adhuc nullus celerius scripsit, ne mo uelocius legit, quaternas simul epistolas dictauit. Tantæ fuit bonitatis, ut quos armis subegerat, clementia magis uicerit. Eodem tempore tres simul exorti soles, paulatim in eundem orbem coierunt. Inter cætera portenta, quæ in toto orbe facta sunt, bos in suburbano Romæ ad arâtes locutus est. Frustra se urgeri: Non enim frumenta, sed homines breui defuturos.

EVTROPII DE GESTIS

ROMANORVM LIBER

SEPTIMVS.



Anno urbis conditæ DCC. ferè ac nono, interfecto Cæsare, ciuilia bella reparata sunt: Percussoribus enim Cæsaris senatus fauebat. Sed Antonius COS. partiū Cæsaris, ciuilibus bellis opprimere eos conabatur. Ergo turbata Repub. multa Antonius scelera committens, à senatu hostis iudicatur. Missi ad eum persequendum duo COS. Pansa, & Hircius, & Octauius adolescens anno XVII natus, patre Octauiio senatore genitus, maternum genus ab Aenea per Iuliam familiam sortitus, Cæsaris nepos, quem ille testamēto hæredem reliquerat, & nomen suum ferre iusserat. Hic est, qui postea Aug. est dictus, & rerum fortuna potitus. Quare profecti contra Antonium tres duces, uicerunt eum apud Mutinam. euenit tamen, ut uictores COS. ambo morerentur: quare tres exercitus uni Cæsari paruerunt. Fugatus Ant. amisso exercitu, confugit in Gallias ad Lepidum, qui Cæsaris magister equitum fuerat, & tum militum copias grandes habebat: à quo susceptus est. mox Lepido operam dante, Cæsar pacem cum Anto. fecit, & quasi uindicaturus patris sui mortem, à quo per testamentum fuerat adoptatus, Romam cum exercitu profectus, extorsit, ut sibi XX anno consulatus daretur. Senatū proscripsit, cum Antonio, ac Lepido, Remp.

V 2 armis

armis tenere cœpit: per hos etiam Cicero orator occisus est: multiq; alij nobiles. Interea Brutus & Cassius interfectores Cæsaris, ingens bellum mouerunt: Erant enim per Macedoniam & orientem multi exercitus, quos occupauerant. Profecti sunt igitur contra eos Cæsar Octavius Aug. & M. Antonius: Remanserat enim ad defendendam Italiam Lepidus. Apud Philippos Macedoniae urbem contra eos pugnaverunt. Primo prælio uictus est Ant. & Cæsar, periit tamen dux nobilitatis Cassius. Secundo, Brutum & infinitam nobilitatē, quæ cum illis bellum gesserat, interfecerunt: Ac sic inter eos diuisa est Respub. ut Augustus Hispanias, Gallias, & Italiam teneret: Antonius Asiam, Pontum & Orientem. Sed in Italia L. Antonius COS. bellum ciuile commouit. Frater eius, qui cum Cæsare contra Brutum & Cassium dimicauerat: is apud Perusium Thuriscie ciuitatem, uictus & captus est, neq; occisus. Interim à Sexto Pompeio. Cn. Pompei filio, ingens bellum in Sicilia commotum est, ijs qui superfuerat ex partibus Bruti, Cassijq; ad eum confluentibus. bellatum per Cæsarem Augustum Octauium & M. Antonium aduersus Sextum Pompeium. pax postremo conuenit. Eo tempore M. Agrippa in Aquitania re prospere gessit, & L. Ventidius Bassus, irrupentes in Syriam Persas, tribus prælijs uicit. Pacorum regis Orodis filium interfecit, eo ipso die, quo olim Orodes Persarum rex per duces Surenam Crassum occiderat. Hic primus de Parthis iustissimum triumphum Romæ egit. Interim Pompeius pacem rupit: & nauali prælio uictus, fugiens ad Asiam interfectus est. Antonius, qui Asiam & orientem tenebat, repudiata sorore Cæsaris Augusti Octauij, Cleopatram reginam Aegypti duxit uxorem. Contra Persas etiam ipse pugnauit: primis eos prælijs uicit: regrediens tamen, fame & pestilentia laborauit. Et cum instarent Parthi fugienti, ipse pro uictore cessit. His temporibus quoque ingens bellum ciuile commouit, cogente uxore Cleopatra regina Aegypti: dum cupiditate muliebri optat etiã in urbe regnare, uictus est ab Augusto nauali pugna, dara & illustri apud Actium, qui locus in Epeiro est: ex qua fugit in Aegyptum, & desperatis rebus, cum omnes ad Augustum transirent, & ipse se interemit. Cleopatra exornata diuersis ornatibus ad Cæsarem uenit, sperans eum, ut cæteros, sua specie ad libidinem illicere: sed ille se intra pudicitiam coartans, ad eius concupiscentiam minime inflexus, eam mox custodiri mandauit: quæ ea custodia elapsa, in pretioso sepulchro iuxta Antonium suum se collocans, sibi aspidem admisit: & ueno eius extincta est. Aegyptus per Octauium Augustum, imperio Ro. adiecta est: præpositusque eius factus est Cn. Cornelius Gallus. Hunc primum Aegyptus Romanum iudicem habuit. Ita bellis toto orbe confectis, Octavius Aug. Romam redijt XII anno postquam COS. fuerat, ex eo Rempub. per XLIII annos solus obtinuit: Ante enim XII annis cum Antonio & Lepido tenuerat. Denique cum de oriente uictor reuersus esset: tum primum Augustus, eo quod Rempub. auxerat, consalutatus est, atque ex tunc summam rerum potestatem, quam Græci *πατριάρχην* uocant, adeptus est.

Augustus

AVGVSTVS CAESAR.



Is diebus trans Tyberim de taberna meritoria fons olei ex terra exundauit, ac per totum diem largissimo riuo fluxit, significans ex gentibus gratiam CHRISTI. Tunc etiam circulus ad speciem caelestis arcus circa solem apparuit. Igitur cum quadragesimo secundo anno, firmissimam, uerissimamque pacem Caesar composuisset: CHRISTVS dominus in Bethlehem natus est, cuius aduentui pax ista famulata est. Nullo tempore ante Caesarē magis Romana res floruit. Nam exceptis ciuilibus bellis, in quibus inuictus fuit, Romano adiecit imperio Aegyptum, Cantabriam, Dalmatiam, saepe ante uictā, sed penitus tunc subactam, Pannoniam, Aquitaniam, Illyricum, Rhetiam, Vindelicos, & Salassos in alpiibus, omnes Ponti maritimas ciuitates, in his nobilissimas, Bosphorum & Ponti Cappadociae. Vicit autem praelijs Dacos, Germanorum ingentes copias cecidit: ipsos quoque trans Albin fluiuium submouit, qui in barbarico longe ultra Rhenum est. Hoc tamen per Drusum priuignum suum administrauit, sicut per Tiberium priuignum alterum Pannonicum, Quo bello CCC millia captiuorum ex Germania transtulit, & supra ripam Rheni in Gallia collocauit. Armeniam à Parthis recepit: obsides, quod nulli antea, Persae ei dediderunt. Reddiderunt etiam signa Romana, quae Crasso uicto ademerant. Scythae & Indi, quibus antea Romanorum nomē incognitum fuerat, munera, legatosque ad eum miserunt. Galatia quoque sub hoc prouincia facta est, cum antea regnum fuisset: primusque eam M. Lolius pro praetore administrauit. Tanto etiam amore apud Barbaros fuit: ut reges populi Ro. amici in honorem eius conderent ciuitates, quas Caesareas nominarent, sicut in Mauritania à rege Iuba, & in Palaestina, quae nunc urbs est clarissima. Multi autem reges ex regnis suis uenerunt ut ei obsequerentur, & habitu Romano, togati scilicet, ad uehiculum, uel equum ipsius cucurrerunt. Adeo denique turbas, bella, simultates execratus est, ut nisi iustis de causis nunquam genti cuiquam bellum indixerit: iactantisque ingenij, & leuissimi dicebat, ardore triumphandi, & ob lauream coronam, id est, folia instructuosa, in discrimen per incertos euentus certaminum, securitatem ciuium praecipitare. neque imperatori bono quicquam minus, quam temeritate congruere. satis celeriter fieri, quicquid commode gereretur. armaque nisi maioris emolumentispe nequaquam mouenda esse, ne compendio tenui, iactura graui peritura uictoria similis sit hamo aureo piscantibus: cuius abrupti, amissique detrimentum, nullo capturae lucro pensari potest. Auunculi quoque inuentum arguebat, qui milites commilitones, nouo, blandoque more appellans, dum affectat carior fieri, auctoritatem principis emolliuerat. Denique erga ciues demeter uersatus est. In amicos fidus extitit, quorum praecipui erant ob taciturnitatem Mecenas, ob patientiam laboris, modestiamque Agrippa. Diligebat praeterea Virgilium, Flaccumque poetas. Rarus quidem in recipiendas amicitias, ad retinendas constantissimus. Liberalibus studijs, praesertim eloquentiae in tantum incumbens, ut nullus ne in procinctu quidem laberetur dies quin legeret, scriberet, declamaret.

Auxit, ornauitq; Romam ædificijs multis, isto glorians dicto, Urbem Latericiam reperi, relinquo marmoream. Fuit mitis, gratus, ciuilis, animi lepidi, corpore toto pulcher, sed oculis magis: quorum aciem clarissimorum syderum modo uibrans libenter accipiebat cedi ab intendentibus, tanq; Solis radijs aspectu suo. à cuius facie dum quidam miles oculos auerteret, & interrogaretur ab eo cur ita faceret, respondit, Quia lumen oculorum tuorum ferre nõ possum. Nec tamen uir tantus uitijs caruit. Fuit enim paululũ impatiẽs, leniter iracundus, occulte inuidus, palam factiosus. Porro autem dominandi supra quã existimari potest cupidissimus, studiosus aleæ lusor: Cũq; esset cibo ac uino multũ delectus, aliquatenus uero somni abstinens, seruiabat tamen libidini usq; ad probum uulgaris famæ. Nam inter XII catamitos, totidemq; puellas accubare solitus erat. Abiecta quoq; uxore Scribonia, amore alienæ coniugis possessus, Liuiam quasi marito concedente sibi coniunxit, cuius Liuiæ iam erant filij Tiberius & Drusus. Cumq; esset luxuriæ seruiens, erat tamen eiusdem uitij seuerissimus ultor, more hominum, qui in ulciscendis uitijs quibus ipsi uehementer indulgent, acres sunt. Annum VII & LXX ingressus, Nolæ morbo interiit: quam quã alij scribant dolo Liuiæ extinctum, metuentis, ne quia priuignæ filium Agrippam, quem odio nouercali in insulam relegauerat, reduci compererat, eo summam rerum adepto, pœnas pateretur. Igitur mortuum, seu necatum, multis, nouisq; honoribus senatus censuit decorãdum. Nam præter id, quod antea patrem patriæ dixerat: templa tam Romæ, quã per urbes celeberrimas ei consecrauit, cunctis uulgo iactantibus, Vtinam aut non nasceretur, aut nõ moreretur: uir qui non immerito & maxima parte deo similis est putatus. Neq; enim facile ullus eo aut in bellis felicior fuit, aut in pace moderatior. XLIII annis, quibus solus gessit imperium, ciuillissime uixit: In cunctos liberalissimus, in amicos fidelissimus: quos tantis euexit honoribus, ut penè æquaret fastigio suo. Imperauit annis LVI. XII cum Antonio. XLIII. solus: qui certe nunquã aut Reip. ad se potentiam traxisset, aut tandiu ea potiretur, nisi magnis naturæ & studiorum bonis abundasset.

TIBERIVS CAESAR.



Anno ab urbe condita DCCLXVII. Remp. beatissimam, Tiberio successori reliquit, qui priuignus ei, mox gener, postremo adoptiuus filius fuerat. Iste quia Claudius Tiberius Nero dicebatur, eleganter à iocularibus, Biberius Mero ob uinolentiam nominatus est, satis prudens in armis, satisq; fortunatus ante sumptum imperium sub Augusto fuit, ut non immerito Reipub. dominatus ei committeretur. Inerat ei sciẽtia literarum multa: eloquio clarior: sed ingenio pessimo, truci, auaro, insidioso, simulans ea se uelle quæ nollet: his quasi infensus, quibus consultum cupiebat: his uero quos oderat, quasi beneuolus apparens. Repentinis responsionibus aut cõsilijs melior, quã menditatis. Nusquã ipse pugnauit: bella per legatos suos gessit. quosdam reges ad se per blanditias euocatos, nunquã remisit. In quibus Archelaum Cappadocem

docem, cuius etiam regnum in prouinciæ formam redegit, & Maximam ciuitatem appellari nomine suo iussit, quæ nunc Cæsarea dicitur: cum Mazaca antea diceretur. Hic uigesimo tertio imperij anno, ætatis LXXIX. cum immani furore infantes & noxios, suos pariter externosq; puniret, resolutis artibus militiæ, Armenia per Parthos, Mœsia à Dacis, Pannonia à Sarmatis, Gallia à finitimis gentibus direptæ sunt, ipse ingenti omnium gaudio mortuus est in Campania. XXIII regnauit annis: obiit ambiguis signis ueneni. Huius imperij XV anno, dominus IESVS CHRISTVS prædicationis suæ sumpsit initium. octauo quoq; decimo eiusdem anno, IESVS CHRISTVS filius dei pro nobis sese morti offerens, crucifixus est.

C. CAESAR CALIGULA.



Vcessit Tiberio Caius Cæsar, cognomento Caligula, Drusi priuigni Augusti filius, & ipsius Tiberij nepos sceleratissimus, & qui etiam Tiberij dedecora purgaret. bellum contra Germanos suscepit, & ingressus Sueuiam strenue nihil fecit. Stupra sororibus intulit: ex una etiam natam filiam cognouit. Cū aduersum cunctos, ingenti auaritia, libidine, crudelitate sæuiret, interfectus in palatio est anno ætatis suæ XXXIX, imperij III. mense X. diēque VIII.

CLAUDIUS CAESAR.



Ost hunc Claudius fuit, patruus Caligulæ, Drusi, qui apud Maguntiam cū filio monumentū habet, cuius Caligula nepos erat frater. Hic Mœdis imperauit: multa gerens tranquilla atque moderate, quædam crudeliter & insulse. Britānis intulit bellum: quos nullus Romanorum post C. Cæsarem attigerat. eaque deuicta per Cn. Sentium, Aulum Plautium illustres & nobiles uiros, triumphum celebrem egit: quasdam insulas etiam ultra Britānias in Oceano positas, Romano imperio addidit, quæ appellantur Orcades. Filio autem suo Britānici nomen imposuit. Tam ciuili autem circa quosdam amicos extitit: ut etiam Plautiū nobilem uirum, qui in expeditione Britānica multa egregie fecerat: triumphantem ipse prosequeretur, & conscendenti Capitolium laeuis incederet. uixit annos LXIII. imperauit XIII. post mortem consecratus est, Diuusq; appellatus.

NERO CAESAR.



Vcessit huic Nero, nepos Caij Caligulæ, auunculo suo simillimus: qui Romanum imperium deformauit & minuit, inusitatae luxuriæ sumptuumq; ut qui exemplo Caij Caligulæ in calidis & frigidis se lauaret unguentis: retibus aureis piscaret: quæ blatteis funibus extrahebat: infinitā Senatus partē interfecit: bonis omnibus hostis fuit. Ad postremū se tāto dedecore prostituit: ut saltaret & cātare in scena, citharcedico habitu uel tragico. paricidia multa cōmisit: fratre, matrēq; interfectis: urbem Romā incendit, ut spectaculi eius

V 4 imaginem.

imaginem cerneret, qualis olim Troia capta arserat. In re militari nihil omnino ausus, Britaniam penè amisit. Nam duo sub hoc nobilissima oppida capta illic, atq; euerfa sunt. Armeniam Parthi sustulerunt: legionesq; Romanas sub iugū miserunt. Duo tamen regna sub eo prouinciæ factæ sunt: Pontus Polemoniacus, concedēte rege Polemone: & Alpes Cottia rege defuncto, propter hoc Romanae urbi execrabilis, ab omnibus simul destitutus, & à senatu hostis iudicatus. Cū quæreretur ad pœnam, quæ pœna erat talis, ut nudus per publicum ductus, furca capiti eius inserta, uirgis usq; ad mortē cæderetur, atq; ita præcipitaretur de saxo: e palatio fugit, & in suburbano liberti sui, quod est inter Salariam & Numentanam uiam ad quartum urbis miliarium, se interfecit. Aedificauit Romæ thermas, quæ ante Neronianæ dictæ, nunc Alexandrinæ appellantur. Obijt XXXI. ætatis anno, imperij XIII. atq; in eo omnis Augusti familia consumpta est. Deniq; omnibus flagitijs suis etiã hoc addidit, quod sanctos dei apostolos, Petrum, Paulūq; trucidauit.

SERGIUS GALBA.



Vic Sergius Galba successit, antiquæ nobilitatis Senator: cum LXXIII. annum ageret ætatis, ab Hispanis & Gallis imperator electus est: mox ab uniuerso exercitu libenter acceptus, nam priuata eius uita insignis fuerat militaribus & ciuilibus rebus: sæpe COS. sæpe proconsul, frequenter dux grauissimi belli. Huius breue fuit imperium, & quod bona haberet exordia, nisi ad seueritatem propensior uideretur. Insidijs Othonis occisus est, imperij mense septimo. iugulatus est in foro Romæ, sepultusque in hortis suis, qui sunt in Aurelia uia, non longe ab urbe Roma.

OTHO SALVIUS.



Aluius Otho occiso Galba, inuasit imperium, materno genere nobilior q̄ paterno, neutro tamen obscuro: in priuata uita mollis & Neronis familiaris. In imperio documentum sui nō potuit ostendere. Nam cū his temporibus, quibus Otho Galbam occiderat, etiã Vitellius factus esset à Germanicis exercitibus imperator, bello cōtra eum suscepto, cū apud Bebricū in Italia breui praelio uictus esset, ingentes tamen copias ad bellū haberet, sponte semet occidit, petentibus militibus, ne tam cito de belli desperaret euentu. cum tanti se non esse dixisset, ut propter eum ciuile bellū oriretur, uoluntaria morte obijt. XXX & octauo ætatis anno, nonagesimo & V imperij die.

AVLVVS VITELLIVS.



Einde Vitellius imperio potitus est, familia honorata magis q̄ nobili. Nā pater eius non admodū clare natus, tres tamē ordinaros gesserat cōsulatus. Hic cū multo dedecore imperauit, & graui sœuitia nobilitatus, præcipue ingluuie & uoracitate: Quippe cū de die sæpe quarto uel quinto ferat epulatus. Notissima certe cœna memoriæ mādata est, quā ei Vitellius frater exhibuit

ter exhibuit: in qua super cæteros sumptus, duo millia piscium, septē millia autiū apposita tradit. Hic, cū Neroni similis esse uellet: atq; id adeo præ se ferret, ut etiā exequias Neronis, quæ humiliter sepultæ fuerant, honoraret, à Vespasiani ducibus occisus est: interfecto in urbe prius Sabino Vespasiani fratre, quæ cum Capitolio incēdit. Interfectus autē est, & magno dedecore tractus per urbē Romam publice nudus, erecta coma, & capite eius subiecto ad mētum gladio, stercore inuoluto, & pectus ab omnibus obuijs appetitum. Postremo iugulatus & in Tyberim proiectus, etiam communi caruit sepultura. Perijt autem ætatis anno septimo & L. imperij mense VIII. & die uno.

VESPASIANVS FLAVIVS.



Vespasianus huic successit, factus apud Palæstinam princeps: obscure quidem natus: sed optimis uiris comparandus. priuata uita illustris, ut qui à Claudio in Germaniam, deinde in Britāniam missus, Trices & bis cum hoste confligit: duas ualidissimas gentes, XX. oppida, insulam Vectam Britāniæ proximam imperio Ro. adiecerit. Romæ se in imperio moderatissime gessit: pecuniæ tamē auidior fuit, ita, ut eam nullis iniuste auferret: quam cū omni diligentia prouisione colligeret, tamē studiosissime largiebatur, præcipue indigentibus. Nec facile ante eum cuiusq; principis, uel maior est liberalitas comparata, uel iustior. Placidissimæ bonitatis, ut qui maiestatis quoq; cōtra se reos non facile puniret ultra exiliij pœnā. Sub hoc Iudæa Ro. accessit imperio, & Hierosolyma: quæ fuit urbs nobilissima Palæstinæ: Achaiam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum, quæ liberæ ante id tempus fuerant: item Thraciam, Ciliciam, Tracheam, & Comagene, quæ sub regibus amicis erant, in prouinciarū formam redegit. Offensarū & inimicitiarum immemor fuit. Conuitia à cauidicis & philosophis in se dicta leniter tulit, diligens tamen coercitor disciplinæ militaris. Hic cū filio Tito de Hierosolymis triūphauit. Post hæc cū Senatui, populo, postremo cunctis amabilis, ac iucundus esset: profluuiō uentris extinctus est in uilla propria circa Sabinos, annū agens ætatis LXIX. imperij nonū & diem septimū, atq; inter diuos relatus est. Geniturā filiorum ita cognitam habuit, ut cū multæ coniurationes contra eū fierent, quas patefactas ingenti dissimulatione contempsit: in senatu dixerit, aut filios sibi successuros, aut neminem.

TITVS VESPASIANVS:



Titus filius Titus successit, qui & ipse Vespasianus est dictus: uir omnium uirtutum genere mirabilis, adeo, ut amor & delitiæ humani generis diceretur. Facundissimus, bellicosissimus, moderatissimus. Causas latine egit, pœmata & tragedias Græce cōposuit. In oppugnatione Hierosolymorū sub patre militas, XII propugnatores, duodecim sagittarū ictibus cōfixit. Romæ tantæ ciuilitatis in imperio fuit, ut nullū omnino puniret, Conuictos aduersum se cōiuratos ita dimisit, ut in eadē familiaritate qua antea, habuerit. Facilitatis & liberalitatis

ralitatis tantæ fuit, ut cū nulli quicq̃ negaret, & cū ab amicis reprehēderetur, respondit: Nullū tristem debere ab imperatore discedere. Præterea cū quadā die in cœna recordatus fuisset, nulli illa die se quicq̃ præstitisse, dixerit amicis, Hodie diē perdidit. Hic Romæ Amphitheatrū ædificauit, & v. millia ferarū in dedicatione eius occidit. Per hæc inusitato fauore dilectus, morbo perijt in eā, qua pater uilla: post bienniū & menses octo, dies xx. q̃ imperator erat factus, ætatis anno altero & xl. Tantus luctus, eo mortuo, publicus fuit: ut omnes tanq̃ in propria doluerint orbitate, Senatus obitu ipsius circa uesperā nuntiato, nocte irrupit in curiam: & tantas ei laudes, gratiasq̃ congeffit: quantas nec uiuo unquā egerat, nec præsentī. & inter diuos relatus est.

FLAVIVS DOMITIANVS.



Domitianus mox accepit imperiū frater ipsius Iunior, Neroni, aut Caligulæ, aut Tiberio similior q̃ patri aut fratri suo: primis tamen annis moderatus in imperio fuit, mox ad ingentia uitia progressus, libidinis, iracundiæ, crudelitatis, auaritiæ, tantū in se odij fomitem cōcitauit, ut merita & patris & fratris aboleret. Interfecit nobilissimos ex Senatu. dominū se, & deū primum appellari iussit. Nullā sibi, nisi auream & argenteā statuam in Capitolio passus est poni. Consobrinos suos interfecit. Superbia quoq̃ in eo execrabilis fuit. Expeditiones quatuor habuit, unā aduersum Sarmatas, alteram aduersus Cattos, duas aduersum Dacos. De Dacis, Cattisq̃ duplicē triumphū egit. De Sarmatis solā laureā usurpauit. Multas quidē calamitates hisdem bellis passus est. Nā in Sarmatia legio eius cum duce interfecta est, & à Dacis Appius Sabinus cōsularis, & Cornelius Fuscus præf. præf. cū magnis exercitibus occisi sunt. Romæ quoq̃ multa opera fecit: in his Capitoliū & forū transitoriū Odeū, porticus Iliū, ac Serapeū & Stadiū. Verū cū ob scelera uniuersis exosus esse cœpisset: interfectus est suorū cōiuratione in palatio, anno ætatis xlv. imperij, xv. Funus eius cū ingēti dedecore p̃ uestpillones exportatū, & ignobiliter est sepultū.

EVTROPII DE GESTIS

ROMANORVM, LIBER

OCTAVVS.

NERVA COCCEIVS.



Anno octingentesimo & quinquagesimo ab urbe condita, Vetere & Valente COSS. Resp. ad prosperrimum statum redijt, bonis principibus ingēti felicitate commissa. Domitiano enim exitiali tyranno, Nerva successit: in priuata uita moderatus, & strenuus, nobilitatis mediæ: qui senex admodum operam dante Petronio secundo præfecto præf. item Parthenio interfectore Domitiani, imperator est factus. Aequissimum se, & utilissimum